

Wc
120



8: 6



h. 68, 10

(Henr. à Frisen.)

PANEGYRICUS



Serenissimo Principi

BERNHARDO

Saxoniae, Juliae, Cliviae, Franconiae Duci, &c. Scriptus.



FRANCOFURTI, ANNO M. DC. XXXIV.



P. A. N. T. G. Y. R. I. C. U. S.

INVICTISSIMO PRINCIPUM

BERNHARDO,

SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM, ET VINDICATAE NUPER FRANCONIAE DUCI, POST PATRATAS AC DEVICTAS ACIES, CAPTAS AUT DEDITAS URBES, IMPERATORI SUMMO, PIO, FELICI, GERMANIAE QUOQUO VERSUM INCEDIT, LIBERATORI HAUD DUBIO, HEROI INCOMPARABILI, IN DECUS ET EXEMPLUM EXCELSAE FORTUNAE, QUOD MIRENTUR PRINCIPES POTIUS, QUAM IMITENTUR, BONO-OMNIUM NATO,

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Auctor.

Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.



PANEGIRICUS.



I te in castris tuis, Imperator, inter faustas acclamations, inter procerum faventium studia, militumque gratantium fremitu ac vota certantia, per monumenta gloriae tuae, & tot circumfusa decora magno ac sublimi animo gradientem, ipse ovans gaudio ac lætabundus aspectarem; abesse vix potest, quin tot pulcherrimis incitamentis provocatus, vel primus, vel imprimis illam hostiū fulminatricē dexteram tuā, qua nūc nova generi humano fata dispensas, prono ac submisso osculo invaderem; ut quantum tibi singuli ac universi, quos cum toto Christiano orbe infinito meritorum ambitu complecteris, pro se quisque debeamus, sola veneratione faterer. Nunc longis regionum spaciis discretus, eos imitari cogor, qui in cœlum preces suas allegant, & Numinis majestatem humanis obtutibus contrectari dedignantem, mente solâ & cogitatione intuendā, vrendis ritibus ex pietatis norma ac præscripto adorant. Cæterum ut summus ille rector, tametsi sub oculos non venit, ubique tamen vi & effectu & præclaris ac mirandis operibus noscitur: ita innumerabilibus tuis erga nos meritis id consecutus es, ut illis, qui felicitate te coram cernendi destituuntur, absens corpore duntaxat, animo, cultu, veneratione præsens ubique videaris. Nullo loco, nulli terminis nominis tui fama attinetur: nihil illi clausum aut impervium est, disita, remota fulgore suo penetrat; & ad instar novi aut inusitati syderis oculos

cum admiratione omnium in se vertit ac defigit. Nam sicut diurnum illud sydus, quanquam cœlo affixum, per immensa mundi spacia naturali lege circumducitur, ac terris omnibus, locis, angulis, sese impertit; ita virtutum tuarum lumen longè lateq; sparsum, omnem in partem benignissimam vim suam diffundit atque ex-erit. Non fas est, non licet cuiquam tam coecæ, tam malefanæ ac perditæ mentis esse, ut inficiari audeat ingerentem sese oculis ac sensibus coelestem hanc claritatem. Cum enim tam late pateat singularis beneficentia tua, quam late orbis Christianus universus; nec unius aut alterius provinciæ finibus, sed totius mundi habitabilis regionibus amplissimorum gestorum splendor se circumscribat, prorsus majori piaculo se obstringere videatur, qui bonum, tam grande, tam omnibus commune nesciat, quam qui lædat. Equidem ego, imperator, illustri famæ tuæ miraculo excitatus, dum cæteri adhuc in re tantâ cunctantur, aut stupent, ardentes quosdam stimulos admoveri mihi, ac infligi sentio; Imò verò velut numinis instinctu, magis magisque indies tangor, rapior, accendor; prorsus ut teneri non possim, quin immensum illud felicitatis publicæ arcanum, quod vocem adhuc singulorum unà cum admiratione includit, velut emancipatum silentii vinculis publica hac allocutione apud pulvinaria tua deponam; quæ ut verborum ambitu atque apparatu, non exprimitur sed subducitur; ità sese totam immortalitati tuæ, cum suo sibi pariter auctore devoto studio dedicat, consecrat, addicit. Unde verò nunc incipiam, aut quonam hunc impetum effundam? In tam multiplici atque inordinata rerum
conge-

congerie quæ ad dicendum mihi surgit, anxius hæsito; neq; quicquam æquè in copioso atque infinito argumento ut inopia & egestas me fatigat. Cumq; ipsa sibi dicendorum maximè obstat magnitudo, atque aciem intentionis abrumpat; quid primo, quid ultimo, quid medio loco interferam, anceps atque instabilis æstimatio est. Statim ab excessu Magni illius Gustavi, quem inimica terris numina, & nondum exsatiata cladibus nostris in medio triumpho rapuerunt, rem ingressus, quæ orbis expectationem concitaret, salutis publicæ tutelam velut hæreditario jure in te recepisti. Ea à morte Regis insecuta mox sunt reipub. tempora, quæ nos crudi servitii & post omnia libertatis quoque improspere amissæ sæpius quam victoriæ admonerent. Nihil consiliis & auspiciis, plura casibus & fortuna Regis, hostibus etiam post mortem formidati, agitabantur. Multi qui initio alacres fidem atque animum ostentaverant repente torpentes & obnoxii, atque inter spem ac timorem hæsitantes nec vela retro dare audebant, & speculari potius, quam movere fortunam, tutissimum habebant. Sæpe inutili contatione, quod inter ancipitia deterri- mum est, agendi tempora hosti prodita; occasionem rerum gerendarum per artes atque irritas consultationes exemerunt. Hinc æmulatio ac livor egregia conata turbabant; & ut in divulso corpore abruptis validissimis artibus, sic sparsis huc illuc viribus nihil pariter nihil in commune agi. Languescere ex cò paulatim libertatis ardor, ac dum sibi quisque tendit egregium publicum nimis studiis victum, odiis aut suspicionibus conflictabatur. Pax quoquè ad tempus sumta gloriæ ac

successibus intervenit : cujus larvâ ac imagine decepti
ac hiantes, ad ludibrium prope ac fastidium ab hoste
callido ac vafro circumducti sumus. Mox arma, quæ
haut bene interquieverant, otium malè fidum abrupe-
runt; quæ jam ne quid indignitati deesset, velut ex præ-
scripto, ubi, & quoties hosti visum, aut promebantur,
aut rursus ex illius arbitrio cessabant. Ergò idem ille,
qui antea tot per clades fractus atque imminutus in fu-
gâ triumphum reputabat, haut ignarus, molitiones
nostras votis læpius, quàm audendo peragi, insurgere
rursus, assultare, in tarditate nostrâ plus spei, quàm in
virtute suâ ponere : mox verso in fiduciam metu, quâ
nudum patriæ latus ostentabatur, ea ferox rapidusque
nostra oppugnatum ire, qui de suis etiam paulo ante in-
dubium venerat. Coëtera defleri magis quam defendi;
corripiri quam corrigi posse, utinam non omnes nos-
sent. Credo fortunam tot prosperis, quæ Regem vivum pro-
secuta erat, defatigatam, ad ultimum versare secum at-
que addubitare parumper coëpisse, utrum, quæ tam
benigne largita erat, uno ictu in irritum daret. Diu cer-
te veluti fatali quodam flexu à cursu suo circumacta,
aut per inania tentamenta & frustrationes meras utrius-
que deprehensa stetit : aut si quando quietis pertæsum
erat, damnis potius, & cladibus nostris, quàm secundis
nobilitata est. Neminem fallebat, haud parvum cu-
mulum profectò de partium gloria dirutum iri; ac nisi
fortunam criminis puderet, fatale exitium portendi;
satis persuaso, haud posse tantam molem, quanta ex ad-
versis opibus in perniciem nostram indies convalesce-
ret,

ret, diutius sine rara aliqua & ingenti virtute propulsa-
ri. Poscebatur ore omnium Princeps, cujus vigorem,
constantiam & expertum bello animum fama loquere-
tur; apud quem omne honestis consiliis robur; sine quo
quamvis egregia invalida fore, cernebant; plerisque ta-
men fiduciam inter ac metum anxiam & suspensam
mentem volutantibus, ne in imbelles aut indignos hu-
meros inclinantia fata ruerent; quæ Rex olim in tan-
tum Deo similis, in quantum natura humana patitur,
in se transtulisset. Quis tum adeo stupidus aut excors
fuit, qui cum oculos circumferret diuque pensitaret in
cujus potissimum Atlantis cervice hoc cœlum dignè
recumberet, non te confestim, magne Princeps, vel ta-
cito præjudicio designaret? Circumsteterat te publica
expectatio, onerique tam specioso haud dubiis suffra-
giis destinabat, etiam antequam destinari te cuperes.
Neque enim in comparatione tanti Regis, quo majo-
rem sol non adspexit, alius præter te occurrebat, in quo
post illum, justius salus, libertas ac securitas nostra fun-
daretur; in quem melioribus auspiciis spes & vota omni-
um verti ac defigi fas esset. Apparebat magnum Gu-
stavum semel in terris vixisse, semel mortuum; Illo ere-
pto, similem jam reperiri non posse; si proximus desti-
naretur, te solum ostendi. Infederat omnium animis
pulcherrimum augurium, te illum arcano quodam pro-
videntiæ genitum, qui dejectam acerbo invictissimi
herois fato ac nutantem partium famam excitare;
qui adflictam atrocissimo hoc casu & attonitam rem-
public. allevare divinis imperiis juberetur. Neque
fortuna dehinc moram fecit, sed velut ex pacto

aut

aut constituto studiosè successibus tuis famulari protinus cœpit. Præstitit votis nostris fidem, & verita, opinor, ne impar esset invidiæ, si diutius adversaretur publicæ salutis, quicquid ante inclementis in nos consuluerat, prompto excusavit obsequio. Ex eo tempore hostem ubique cædere, fugare, præsidiis exuere; castella oppidaq; milite infessa, rapere; terras integras ac provincias in ditionem accipere, religionem ac sacra captiva aut in exilium acta, manu reducere; miseros & hostili impotentia ex magnis opibus ad alienam misericordiam redactos, fortunæ & patrimonii restituere, spoliatos dignitate, loco & honori pristino reddere; adversis partibus desperationē; spem atq; securitatē nobis longē lateq; ostentare non destitisti. Ita cum Svevia, Franconia, Alsatia, Bavaria momento pene transegisti; ultra Rhenum ac Danubium arma ac nominis terrorem protulisti; quæq; urbes cervice rigida jactabāt jugū adhuc, aut immitibus addictæ dominis prorsus sine exceptione servire cogebantur, asseruisti, metu ac suspicione exonerasti. Meminerunt plerique plura te oppida uno die vi aut deditioe cepisse, quam aliis toto vitæ tempore molliter obambulando obire vacat. Ut jam malè de te fortuna mereri videretur, quoties vota non præcurreret. Ipse sermo hic meus tardior pene est, quàm ista fuerunt, quæ perfecisti. Nam velut præcipitio montis devolutus torrens vasto impetu impingitur campis, eluctatusq; per obstantes moles agit vehitq; omnia, super ruinas suas liberè exundans: ita virtutem tuam acrem illam, igneam, indomitā, sui plenam velut procellam aut nimbium superfudisti hostibus, morasq; ac difficulta-

cultates omnes, non fractus adversis, sed incensus, in
morem ac modum fulminis, rupisti, stravisti, procul-
casti. Prorsus, ut adacta in leges tuas fortuna sacramen-
to tibi dixisse videretur, ne te ad orbis Christiani salu-
tem præpopere festinantem malignitate intempestivâ
sufflaminare vellet, aut inhibere. Quæ ne successus tan-
tos tibi imputare posset, prius quam quicquam aggre-
derere, cum cœlo propius contraxisti, & pietatis fœdere
cœleste Numen participus, tuis miscuisti, cujus inusitato
favore munitus, & omnium jam eventuum velut ex
sponsione securissimas, certo & irrefragabili iudicio fu-
tura ex instantibus præcepisti. Tam manifesta certè
exinde numinis auxilia in omnibus consultis tuis enitu-
erunt, ut dubium non sit quomodo sua de te iudicia à
nobis accipi velit: nec ambigi queat, ad implendum
gloriæ ac magnitudinis tuæ orbem virtutem tuam cum
fatis conspirasse? Quæ ut uni tibi hætenus addictissi-
ma fuerunt, uni tantum indulserunt, quantum quisque
vel incassum optat vel desperat; in unum vim suam o-
mnem ac potestatem pene prodigè effuderunt; ita nihil
hic temerè aut fortè, omnia potius cum quodam iudi-
cio ac delectu ab iis concessa tibi esse quovis arbitro e-
vincam. Neque enim quisquam meo animo, aut plu-
ra à divina benignitate ferre, aut digniora debet; quam
pius, & sanctus, & Deo simillimus Princeps. Neque
ad ullius nutum obnoxia atq; ancillantis obsequia for-
tis flecti potius ac circumagi par est, quam ex ejus Prin-
cipis voluntate, quem liquet, in hoc divinitus constitu-
tum, ut succedat rebus fessis, & obviam eat ruenti in de-

B

terius

terius seculo; neque fortunæ exsultanti nimium licere
permittat. Cui verò mundi fasces omnesque fatorum
ac naturæ leges potius submitti debent, quam ei qui re-
gendi sapientia præ cæteris pollet; in quo eæ virtutes si-
mul omnes conjunctim eminent ac spirant, in quarum
partem vix singuli admittuntur? qui denique apicem
istum, non jactatione inanium, sed quod præclarius est,
prudentia, fortitudine, vigilantia omnium virtutum
concentu non æquat, sed excedit? Neque enim illorum
principum mores æmularis, qui magna fortuna velut
inebriati ac cinædicis penè voluptatibus soluti atque
fluentes vim & majestatem imperii inertis luxu, & pro-
digis epulis & cæteris principatus dehonestamentis ple-
nè omnem elidunt: Qui in popinis, in angulis, cum
sua sibi ignavia perpetuò caput collimant; ac sic in do-
mo atque palatio, quasi in condidivo siti, ac prope sepul-
ti amorem libertatis & honesti curam in scortorum
finu & impudicis amplexibus, demergunt. Quibus
vitiis animum ceu morbo aut veneficio obsessum, & ad
abjectissimum serviendi morem enervatum, ac fractum
frustra ad egregia facinora attollas: suamet ipse ignavia
ac dedecore præcepserit; simulq; Remp. secum trahit,
aut, quod æque indignum, ad pejores transmittit. Tu
vitæ ipse tuæ ac morum acerrimus censor, ita observas
te, custodisque, quasi legibus, quas nemo principi scri-
psit, redditurus rationem; cumque delictis enormibus
inexorabilem te præbeas, vitæ tamen censura plures,
quàm poenis emendas; & mavis impetrare honesta,
quàm cogere. Inter omnes verò nulli minus, quam
tibi

tibi ignoscis; nec in quenquam alium adductius durius-
que, quam in te ipsum imperium exerces. Non enim,
quod, plerique, ex magno imperio licentiam tantum
usurpas; sed disciplinæ adstrictique moris ubique
rigidissimus exactor, quid ab aliis fieri velis, exemplo, &
quod blandissimū imperandi genus est, faciendo mon-
stras. An quenquam fugiunt actæ tibi sub pellibus hyc-
mes; æstates inter medianta bellorum sudatæ, insa-
næ tempestates, coelum intractabile ac horridum, foedis-
simæque injuriæ aeris, inedia, algores, vigiliæ juxta tibi
toleratæ? Quid? si quando temporaria quiete labores
militiæ interpolare contingit, an somno te luxuq; igna-
vo, vel ludo ac aleæ, quæ una sæpius horâ multorum
mensium stipendia decoquit, vacuum præbes? Quin
gnarus potius, otii vitia negotio discuti, cum alacribus
saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certare;
equitatu, jaculatu, virilibus exercitamentis, prolicere
sudorem, inq; conspectu exercitus, in ore commilito-
num tuorum decoro sordescere pulvere pro oblecta-
mento habes? Jam fatigato non operosum aliquod tē-
gmen, sed instratus torus temere, sæpe & ipsa humus
cubile præbet. Cibis non peregrinis deliciis, non exqui-
sito artis ingenio laboratus, sed facilis, & castrensis, longa
quamvis jejunia solatur. Tempora somni arctiora quam
noctis; & hæc ipsa intercurrentibus ex transverso curis
confusa sæpius aut intercisa. Sciunt quos secundorum
adversorumque socios habes; ubi quis tumultus in-
crepuit, exilire te primum & circumspicere
B 2 pericu-

pericula; simulq; versar[unt] animo dubia casuum, & iis occurrere, ac providere in omnes partes, securum sui, nec tam de propriâ, quam eorum salute anxium vel qui sub te pugnant, vel pro quibus ipsemet pugnas. Longè nimirum aliter comparatus, atque hebetes illi ac degeneres, quos folio suo affixos & immobiles, ne si fractus quidem orbis illabatur ex illo voluptatis, ex illo desidiae somno ac oscitatione excitari posse putem. Qui tanquam si in publico lapides metuant, ita se à luce, ab oculis hominum, à negotiis retrahunt, tenebras & occulta captant, nec provident aliquid, nec curant aut sentiunt, ad instar Marpesii cujusdam saxi, aut Epicurei illius Dei, qui nec ipse habere negotium, nec exhibere aliis cupit; immemores præteritorum, instantium, futurorum, An verò omittam in agmine, in acie, tuas cohortes, tua te vexilla magno gradu anteire; Ducis boni & strenui simul militis partes exsequi? Te, sive horrentibus scopulis inferre gradum, seu per abruptas voragines, arctissimosvè anfractus, aut merfa præaltis nivibus juga lubrico & tentabundo vestigio erepere juvat, longè ante omnes emicare? Tum pleraque castrensiun munerum ipsum obire, pauca per centuriones aut tribunos expedire; castigare segnes & urgere, strenuos laudare; plurimum ipsum contendere, operis & laboris ultra quàm credibile est patientem, & assidua ænunquam intermissa contentione paria cum infimis facientem incorrupto tamen Ducis honore. Sic illi cœlestes orbis loco stare nesciunt, & indefessa vertigine citra sensum lassitudinis circa hunc mundum rapiuntur, Licet æstimare
mare

mare quicquid in aliis laborem dicimus; id tibi innatum,
nec tam officium ac munus, quam indolem esse. Jam
in conflictu & prælio nonne experimentis compertum
habemus, te quoties cohortes tuæ in pugnam classico
animantur, ac stantes in procinctu adverſæ acies totis
campis horribili specie intenduntur; cum exundantis
fumi ac pulveris nubes prospectum caligantibus oculis
exemit; cum terribilis cædentium cadentiumq; strepi-
tus, tumultus, fuga; boatu ac fragore animis omnium
offunditur, cædes ubique, ubique sanguis inundat, te,
inquam, ante primos tuorum ordines obequitare, cir-
cumire cornua, indispositos ac disiectos instruere, suc-
currere laborantibus, retentare dubios ac firmare, pa-
ventibus metum demere, pudorem incutere, ubi acer-
rimum periculum ostenditur, consultò advolare instar
galeati Martis, voce, præsentia, manu, primis juxta po-
stremisq; fiduciam aspirare, testem atque arbitrum vir-
tutis cujusque, strenuam cunctis operam navare; densis-
simos hostium globos, ac pugnacissimas turmas assulta-
re primum ac perfringere; resistentes impellere ac loco
deturbare, primum intrepidum caput infestis telis ac
ignitis globorum ictibus objectare; atque imperterritæ
promptissimæque ad omnia fortitudinis, te ipsum inter
egregia hortamenta, efficacissimum, perfectissimumq;
imperatoria juxta ac militaris virtutis exemplum ante
ora tuorum circumferre? Sic æmulatione tui miles in
audaciam & obsequium veluti præceps agitur, non sui,
non uxorum aut caritatum suarum memor, honestis ar-
doris tui imitamentis, cujus vim etiam in imbelles trans-

fundis, invitatus nihil nisi pugnam, nisi laudem atque decus spirat; nihil nisi ad oreas & laurus meditatur aut adfectat. Quis enim aut laborem ullum aut periculum detrectet; cum te quicquid durum ac asperum ubique est, deprecere vel ardentissime videat? quis non mori potius per virtutem præoptet, quam te tam contumaciter insultantem fortunæ & in omnes casus generoso impetu provectorum, pigrè ac deliberanti similem sequi? Equidem fortissimos viros nunquam infractos aut abjectos recedere arbitror; quoties alacritatem vultus tuî, masculum illum flagrantemq; vigorem, ac tanti animi spiritus haurire datur. Quoties illis occurrit, quàm libenter sanguini tuorum parcas, tui pene dixerim intemperans; quam anxie caveas, ne quid fortunæ debere cogantur. Nec enim cruento alieni capitis ac tristi experimento gloriam tuam sancire amas; ipse dubiis casuum exemptus & jactu teli procul, eventum modo opperiri. Præstas imò quæ præscribis; nec tam imperiosa jubendi violentia, quam suadendo, præundo, ducendoq; creditas tibi manus in pericula mittis, quæ ipse tibi indixisti. Hac lege æquata cum imperatore militi fors, societate casuum tolerabilior, quasi segne sit expectare quod ipse tibi donare possis, glorioso certamine ultrò etiam à plerisque, appetitur. Ipse paratissima & præfervida militum studia doctus in occasionem flectere; nihil apud te segne aut remissum pateris, usquequaq; pervigil intentus, sollicitus, tibi pariter atq; hosti imminens; qui ut armorum strepitu ac furore terrere te nunquam potuit, ita nec astu aut calliditate ei hæcenus impar

impar

impar fuisti ut non jam prævertere illius incurfus, quam cogitationes atque insidias antecapere soleas. Si quid adversi incidit, id aut vincis virtute aut ratione corrigis: inter læta ac prospera non minus acriter quam providè agis; gnarus instare fortunæ, urgere successus, utrumque cauto ac salubri temperamento ad consilium & prudentiam revocare. Quoties verò infestior quies, quam temeritas necessitatem audendi imponit, non acrioris tantum viri, sed & prudentioris Ducis existimas, quæ mox eventura videntur, occupare fortiter, nec hosti ad deliberandum spacium relinquere. Didicisti enim lubrica bellorum momenta esse, nihilq; minus quam casus ex formula aut pacto procedere; neque aliud infelicius quam indormire spei, aut cunctari velle in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum; Adhæc peragenda animus tibi contigit erectus, excelsus, supra casus & ludibria rerum humanarum constitutus, infinitæ potestatis, atque ambitionis, unicus ac perpetuus contemtor. Nunquam ille blandiente successu corruptus intumuit; nunquam iniquis casuum, ad sui vilitatem adactus continuam erectæ constantiæ laudem infregit: Fortunam utramque, quæ robustissimas sæpe mentes frangit, aut evertit, excelsa & insuperabili indole perpetuò adhuc infra se despexit. Cæterum tantarum virtutum, quas in te, magne Princeps, veneramus, illustria experimenta in præclaris gestis tuis, quæ nunc gratis sermonibus omnium celebrantur, præcipue elucet, Quæ quidem ut singula prosequar, non
tempus,

tempus, non ingenium, non institutum meum patitur,
Annalibus & historiis curæ erit, ne quid operum tuo-
rum ignoretur aut subtrahatur posteritati. Nostrium
in angusto studium est. Quod dum omnia simul ample-
cti defugit, ne singula minora exhibeat; satis habet; si
quantum illud sit, quod involvitur, in partibus adum-
braverit. Jamdudum enim manum injicit Ratispona,
quæ nuperrimè justissimum exhausti operis ac laboris
præmium virtuti tuæ celsit. Quo gaudio, qua exsul-
tatione omnium, qua cum totius orbis Christiani gra-
tulatione & plausu, nullis unquam verbis expressero!
Implesti flagrantissima desideria nostrorum; neque in
illo facinore, quod nemo sine horrore cogitare potest,
fortunam magis quam spes nostras atque ultimos voto-
rum conatus, utut inexhaustos ac incredibiles, vel præ-
vertisti, vel superasti. Quis tam audacis fiducia, ut crede-
re præsumat, urbem validam, natura & opere munitam,
armis, viris, commeatu abundè instructam, Bavariæ to-
tius propugnaculum, ad ultimum pro fide pertinacem;
adversa anni tempestate, duobus exercitibus ejus salutem
propinquo invigilantibus, à quoquam non captum iri,
sed saltem circumfideri posse? Sed enim cum in hoc im-
pendatur perpetuus factorum labor, ut per intentata at-
que inaccessa aliis ad solidam magnitudinem tibi viam
præsternant, næ ille anguste profectò virtutem tuam æ-
stimat, qui de ea id tantum, aut credit aut sperat, quod
fieri potest. Igitur quod portenti fidem apud nos auxit,
prius pene captam urbem, quam obsessam audivimus;
prius illa se in manu tua esse sensit, quam se ipsa cogno-
sceret;

sceret; neque obsidio illa, sed statim triumphus fuit:
cum in attonitam, & pene quid ageretur ignaram, tan-
quam hybernus fluctus, aut cœlo missa tempestas, mo-
re tuo detonuisses. O auspiciatam & nullo ævo delen-
dam illius diei fortunam, quæ multorum annorum de-
cora in unam lucem inusitato exemplo cumulavit! O
singularem tuam, invicte Princeps, & vix enarrabilem
magnanimitatem id potissimum aggredientem, de quo
cæteri desperaverant! Quis pro fastigio rerum tam ma-
gnifica facta digne conceperit animo? adeò nemo ex-
primere verbis potest? Ibant immania agmina hinc Ba-
variæ copiis, inde Hispanico, Italicoque robore succin-
cta, ipso famæ sono terribilia nomina; quæ vulgus & im-
peritissimus quisque amplius, quam erant, suspicatus, in
suam alienamq; formidinem intendebat. Nemo Hi-
spanorum robur cum pari superbia conjunctum igno-
rat. Hæc est illa gens, quæ ventoso tumore crepans, le-
giones, exercitus, regna integra uno spiritu difflare so-
let; quæ alienæ libertati velut ex naturæ præcepto ini-
qua semper ac infesta, non Germaniæ modò, sed totius
imperium orbis stolidam vanitatem somniat; cui jam, ut vi-
cto & subacto, minitari malum videtur, truciq; vultu
diras leges & vincula intentat; quasi tam facile sit viris,
& armatis, & quod caput est, Germanis, Romanis quo-
que formidato populo, inter arma atque ferrum nato,
& perpetuis bellorum rudimentis ab ipsa protinus stirpe
innutrito, servitutem injungere; quam Indorū ac Mau-
rorum imbellia agmina uno aut altero edicto proscri-
bere; vel, si videatur, canibus ac Molossis obiter confici-
endos

C

endos

endos objicere. Hæc est illa gens quæ, ut immodica virtutis suæ æstimatione ipsam interim egreditur, ita acris, sublimis, animosa, sæpe aliorum interneccione felix ac potens evasit; hæc est, quæ ultra rerum terminos, & deficientis naturæ claustra vires pariter & ambitionem porrexit; ultimasq; terrarum metas prætervecta, quicquid orbis in extremo seposuit, aut fugiens suppressit, insatiabili ignota invadendi cupidine transcendit; ac dum aliū orbem parem desideriiis suis aperire quærit, naturā ipsam pene amisit, & à tergo jam reliquit. Dux ex eadem gente militandi vetus, & fama inter claros, insitā illis ferociam supra solitum inflabat. Quid ego de Bavaricis signis, & Italicis cohortibus dicam? quæ ut infamiæ suæ adessent, & in partem triumphii tui venirent, longo & molesto itinere per Alpiū juga præcipitata Boicis castris sese haud suo numine conjunxerant? quæ cum fluxis corporibus soli cœliq; mutationem male tolerent, ipsa hercle hyeme expugnata umbræ & reliquiæ hominū Deos hominesq; inculantes, serò jam Italiam suam respectare dicuntur. Bavaricæ quidem copiæ nihil ultra numerum trahentes, Duce tam effœto, & in quo præter famam, infirmisimum adversus bene præparatas mentes telum, nihil è tot ante prosperis durabat, parebāt magis, quam regebantur. Coeterum miles ferox, rapidus, incompositus, disciplinæ cōtemtor, sui alieniq; pudoris temerator; præliorum inexpertus ac hebes, quemque super atrocē flagitiorum conscientiam virtus tua, & toties devictarū partium subinde recrudescens memoria territabat. Adversum hanc molem, exercitus tibi è victricibus Germaniæ legionibus aderat, impar numero, sed asperrima & invicta bello

bello manus; robusta & compacta corpora; miles in castris, in opere strictè & contentè habitus; delitiis aut major, aut intactus; sacramenti atq; disciplinæ retinens, Quorum plerique non auro nitentes, aut fulgore imbelli noscebantur; sed hirto atq; intonso ore, ad instar præruptæ atq; horridæ alicujus rupis; habitu incomti ac squalidi; non homines, sed formæ & effigies è saxo aut scopulis excisæ visu tetræ, ac metuendæ, atrocio rem animum promittebant; non luxuriæ instrumentis tardi ac præpediti; sed ipsa paupertate agiles ac prompti; domi inopiam, opulentiã in hoste habere edocti. Accedebat piissimus juxta ac generosissimus ardor, in singulis tuorum memoria pristini decoris causæq; non semel jam coelitus probatæ fiducia inflâmatus; quam ut optimus quisq; sibi pro vallo circumdat, ita hinc plerumque successum lauguratur ac præsumit! Hac manu prope inspectantibus iis quos ante memoravi exercitibus neque auxilii causa propius accedere audentibus, nobilissimã iis urbem, ceu opimã prædã inter manus ereptum ivisti. Longe illis Hispanici nominis terror, longe Bavariæ & conjuratarũ gentiũ titulus erat. Sive illud fatum fuit; seu pavidi & conscientia recordes, feritatis ac sævitix suæ pollutorum uue foederum, ac læsi Numinis ruptiq; toties gentiũ juris non immerita supplicia ultoremq; tum primũ Deum horrebant. Nemo certe euntem impedire; nemo contendere, nemo illam tibi palmam ambiguam facere sustinuit. Et sanè si quæ sinistra & infausta rabies illos in tuorum manus impigisset, sumfisses poenas immanium scelerum; & tanquam piaculares victimas suæq; jam devotas pesti, iræ atque ultioni mactasses; neque prius destitisses

noxio sanguine litare justissimo dolori, quam sanguina-
rias istas & obscænas belluas, non nisi ad cædem & perni-
ciem humani generis è cubilibus suis prorepentes, ar-
dente militum tuorum virtute, tanquam ruina aut strage
in eas provolutus obtrivisses. Stupeo, eminentissi-
me Princeps, stupeo, & tanquam turbulenta somni ima-
gine confusus, non oculis meis, non auribus satis credo;
cum illum successum, illud ad omnem memoriam se-
culorum insigne trophæum intueor, quod non tam her-
cles de urbe capta, quàm de hostium animis, quos pro-
pria ignaviæ suæ confessione victos proterruisti, aut qui-
escere coëgisti, gloriæ ac perennitati tuæ crexisse mihi
videris. Quare quod illis evenire amat, qui in horrido
quodam & tenebricoso carcere cum sordibus ac pædo-
re aliquandiu conflictati fuerunt, ut cum extemplò in-
de protracti in lucem emergunt, subita claritate solis
verberata illis acies & perstricta, vel deficiat, vel evane-
scat; idem plane & mihi, & omnibus illis, qui ad præteri-
tarum calamitatum & præsentis hujus felicitatis sensum
non obbrutuerunt, evenire autumo. Stabant omnino
in præcipiti res nostræ, & in pejus quotidie dilabi vide-
bantur. Ante omnes Silesia perpetuum, inconcussæ in
nos fidei constantiæque non minus, quam lamentabile
spectaculum, quid in reliquum timeri posset deploratissi-
ma conditione & calamitate sua, semperq; opprobri-
o futurâ iis, qui prohibere poterant, palàm prænuntia-
bat; quæ ante annum majoribus animis quam consili-
is inter prospera nobis vindicata; mox fatis urgentibus
eodem quo occupata erat impetu deserta, & hosti tradi-
ta moest-

ta, moestissimo vultu ac supervacuis nihilq; profuturis lacrymis ac votis, quod sola potest, fugientes defensores suos longissimè prosequeretur. Ergò exercitus nostrates plerisq; omnibus circa locis, quæ insederant, præter spem expulsi, aut necessitati cedentes, raptus, & cædes, ac notas bellorum clades, quæ ad perniciem sæpe suam cauti ac providi etiam in hoste pepercerant, in patriæ viscera ac præcordia vertebant. Licentiam prædandi collapsæ ærarii vires, & angustè præbita stipendia laxabant. Ita egestas & fames obtentui sumpta, aut non fictis doloribus militem turbidum & suo opte ingenio deterioribus pronum ad facinora incendebat; ut jam civibus magis, quam hosti metuendus esset. Protinus in omne nefas itum; dispersæ per agros cohortes spoliare, rapere, vexare refertas domos, non sacro, non profano abstinere. Ut quisque dives aut locuples illicò pro nocente haberi, sui quisque periculi merces, suspiria quoque & lacrymæ, & quæcunque solatia miseris natura reliquerat, vectigalia esse; cumq; jam nihil præter inopiam haberi sine damno posset, paupertas in vota transierat. Quid quod semel concessa quilibet rapiendi facultas non satietatem afferebat Harpyjis illis, sed irritamentum; crescebatq; indies sacerrima habendi ingluvies, & parando rabiem parta incendebant. Erant sub oculis naufragia miserrimorum civium, nec quicquam sibi patrimonia in tributum egesta quiritantium, si tot impensis nihil præter tyrannidem quæsitum esset, si ab hoste immunes, hospitibus suis totum diem os ad contumeliam & lævitiæ præbere, si inter verbera & vibices suorum precari-



um spiritum trahere cogentur. Jam & arva cul-
toribus nudata solitudinem suam mœrere; non suffi-
cere manus poscentibus aratris, falces ipsas in enses
conflatas esse; squalere urbium tecta, domos antiquis
possessoribus ereptas fastidio novorum dominorum
lugere, & velut destitutas deplorare vastitatem suam.
Postremò eò se devenisse, ubi mitiora nec quicquam
expectent; ac frustra parci impostero iis, quæ, ut
hostis desit, fame & obscœna tabe brevi pereundum
foret. At herclè, nata servituti mancipia, semel ve-
nire, & si domini asperius de tergo consulant sæ-
piùs tamen clementiam illorum obsequio eblan-
diri; se verò quod ultimum atque indignissimum sit ser-
vitutem suam impenso pretio cottidie emere, cottidie
pascere! Hæc atque talia impune fieri, homines è sterqui-
linio effossos, quibus omnia honesta atq; inhonesta pre-
tio venalia sint, vile ac projectum decus publicum, in ca-
pita, in fortunas ingenuorum civium, ut libitum, sævire;
plebè innoxiam ad injurias contemptissimorū bipedum
velut ad metallum damnari & ubiq; jam pro victa esse, et-
iam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Quo-
rum ut nihil hosti ignarum, ita malis nostris ferocior, non
jam per cuniculos rem gerere, sed aperta impressione &
gladiatorio animo viam ad nos adfectare. Quis tunc no-
strum aliud quam ferrum, cædes, incendia, stupra, ra-
ptus, & nescio quas non malas cruces, quicquid denique
triste, crudele, asperum aut tumidus audet victor, aut
victi expavent, imaginari sustinuit? Mœsta ac deformis
patria, jam velut ab anniversario hoste ex constituto
rapta-

raptabatur. Nihil illa facie foedius, cum infelix regio
toties hostiliter direpta, toties conclanata, & superstes si-
bi; bustum modò & cadaver sui, ac miserandum vel
barbaris spectaculum, tota funeribus suorum, & ruinis
oppleta, vix è cineribus & favillis agrum caput alleva-
ret; & supplicio suo (infandum!) superesset. Occur-
sabat trepidantibus adhuc oculis acerba illius diei ima-
go; quo nuper irrumpente hostili exercitu, toti vici, op-
pida, urbes, quas terroris illius fulmen adflaverat, ve-
lut excita sedibus suis, cum suo sibi lare & penatibus
migrare & infaustum relinquere solum cogentur;
adeo ut plurimi queis semper sub ictu vivere instar mor-
tis videbatur, raptim quibus quisque poterat conva-
satis circumspectarent alias sedes & abdicata patria ubi-
vistutius, quam in natali suo habitare se posse confide-
rent. Ibat totis campis miserabile agmen; pars præ-
mctu obliti unde irent, quo tenderent, alii alios rogi-
tantes, nec animo nec lingua competebant; pars con-
juges, alii liberos, quidam cognatos deflentes in sua
calamitate alienam sortem miserabantur; erant qui
cunctis inter miseriam & fugam certa desperatione ab-
ruptis, metu mortis mortem ipsam precabantur. Ho-
ste interim quaqua versum incederet circumjecta po-
pulante pulvis è ruinis excitatus pene in oculos veni-
re; fumus ex incendiis villarum tantum non è fene-
stris singulorum prospectari. Videres jam plerosque
concurrere atque omni abjecta spe turpe (ac puden-
dum dictu) deliberare inter sese qua lege perire vellent;
alios non nisi inanibus lamentis & querelis, ut in publicis
execuiis

exequiis solet patriæ, ut putabant, animam agenti, imò
hercle ultrà manes jam depressæ, tristes inferias mittere.
Nolo usquequaque invidiosa narratione onerare fatum
nostrum; & quanquam sit vivax recordatio calamita-
tum, parcam tamen gaudiorum præsentium lucem tri-
stium commemoratione fuscare. Coeterum cum ad
præsentium commendationem bonorum, vel præcipuè
inter sit mala decursa reputari, injungas quælo, magne
Princeps, hoc temperamentum modestiæ tuæ, ut per
incommoda nostra beneficii tui, quo liberati sumus,
magnitudinem volens recognoscas? Nos certe onerosi
esse pietati tuæ malumus; quam ingrati in virtutem, qua
republicam innumerabilibus malis ægram & lapsan-
tem, tanquam è scopuloso & difficili mari, servasti. Nec
poterat mediufidius tam confusa & male implicita tra-
gœdia, sine numine aliquo aut machina expediri. Con-
sulat quisque memoriam præteriti temporis, conveniat
vota sua, vera me dicere fatebitur. Tu impendentia
nobis pericula, à cervicibus, aris, focis, delubris, depulsi-
sti in una urbe omnes machinas, omnia consilia & fa-
bricas hostium disturbasti; & qui nobis jam imminebat,
ad res suas tutandas iter male ominatum reflectere coë-
gisti. Tuum illud est, invicte Princeps, quod miseris in-
finitis defuncti, oculos attollere ac in coelum suspicere
audemus. Quod respiramus, quod quasi ab inferis emer-
gimus, qui nuper vitam hanc duram & calamitosam
perosi ad inferiores aliquos manes præ tædio correpere
optabamus; quod posito luctu, communem hunc aë-
rem nondum servitutis tabe infectum participare, quod
vivere

vivere postremo adhuc delectet, tuum illud est profecto. Quod obsepta diutinæ servitutis metu ora, frenatamque tot malis linguam resolvimus; quod tremefacta libertas Germanorum, quam repentina vis mali intercluso pene spiritu suppresserat, velut laxata morbo reviviscere aliquando incipit movetq; lacertos, tui illud muneris esse ultro fatetur. Excitare labentes, miserari afflictissimam sortem, salutem, securitatem, cum jam non sperantur, fatali virtute prope invitis reddere; intercedere casibus humanis, expugnare vim invictam necessitatis, fortunæ novercantis exarmare impotentiam, adeo magnificum, adeo tuum est; ut peculiare, ut proprium habeas. Non mea ingenii hæ voces sunt, sed tuorum meritorum. Utcunq; imperiosus metus sit, utcunq; ingeniosa adulatione, nunquam tales aut inveniet aut exprimet, quales ex animo tibi vovemus. Non enim coacta laudatione aut deformi obsequio periculum silentii redimimus. Miseret me illorum, qui aut spe aut metu corrupti ad alterius lubricinam infelicem facundiam flectunt; aut servili adulationi emancipatas ingenii sui dotes prostituunt; & ex domini arbitrio tacent aut loquuntur. Procul abest à nobis necessitas illa; nisi quatenus felicitate ad dicendum impellimur. Habent sua verba miseri; sua felices; neutris hæc hactenus simulare vacat aut vultum fingere, ut affectum suum celent; cujus ea indoles est, ut quanto comprimatur magis, potentius exardescat. Nihil addit laudibus tuis oratio nostra; atque utinam ne detrahat. Adeo periculum non est, nenimum videatur, quod ut maximum sit, citra mensuram meriti tui stabit. Eludant licet,

D

quibus

quibus nostra præantiquis contemnere pervicax non minus quam superstitiosa & anilis incensit ambitio. Negent, virtutem hoc sæculo nisi præfinitò nasci; nec posse in ætatem nostram cadere magna exempla. Qui ubi Achillem aliquem, aut Ajacem, aut Ulysssem, & cætera ad scenarum voluptatem & cavearum plausus composita nomina, diligenter admirati fuerint; quicquid illis miraculi circumdederunt poetica ingenia, larvas esse, Chimæras esse, umbras & fabulas esse, si quid mentis habent, fatebuntur. In tuis laudibus nihil fictum, nihil ad ambitum comparatum: Vera omnia ac solida, non alienis ornamentis, sed sua se dignitate metiuntur; quantumque absunt ab ostentatione, tantum supra invidiam exsurgunt. Equidem persæpe haud tempero ab effusissimo risu, quoties ad ea divertere libet; queis Græculi jactabundi & putiditate ebrii, historias suas passim resperferunt. Quis enim tam moroso ingenio aut tam invitis Gratiis unquam natus fuit, qui non statim diffluat risu, non Deorum ac hominum fidem continuo inclamet, cum videat mortales, à capite ad calcem ineptissimos, ingenti molimine ac æstu tantos ubique exercitus fingere, ut præ innumerabili multitudine campos surripiant, diem sagittis obruant, maria contabulata classibus sternant, montes perfodiant aut navigent, flumina epotent uno prandio, compedes Oceano malè morigero innectant? Quis non in scena se versari, aut potius deliram quandam aniculam fabellas pueris oggannientem ad focum audire se putet, si quando in Herculem illum, monstrorum domitorem,
audi- inci-

incidit? Quem ludicra natio aliàs terribili specie, ingenti onustum clava ac leonis spolio circumtectum, otiosissima in pompa, velut Pantheram aut Ursam ad spectaculum, per orbem terrarum quolibet circumducit: aliàs molli ac muliebri cultu inter colum ac pensa procaeci cuidam scortillo famulantem fingit, quæ & ipsa ne nihil agat, fortissimo interim heroi cum suo sibi sandalio caput obiter commulcet: tandem verò nugarum omnium oblita, eundem illum Jovis fatu editum cunctis ritè atque ordine laboribus exantlatis, Diis omnibus invitis, quasi quoddam ferculum religiose admodum coelo infert. Quid ego de Salamine aut Marathone, aut illo toties decantato Cynegiro? quid de cæteris quæ fidem temporis debent, nisi me vanitatis suppuderet, narrare possem? Quoties enim hunc campum Græculi arripiunt, tantas mendaciorum nebulas excitant, tantas fabularum convectant moles, tanto vanissimarum sententiarum strepitu æstuant, ut ad ineptias non nati mehercules, sed ab aliquo Deo facti videantur. Credo, quod veræ laudes deessent, inanium specie atque rerum incredibilium relatione animum lectoris percellere conatos; qui cum facile dormiturus esset, si per quotidiana duceretur, miraculo scilicet excitandum putarunt. Eant verò Græculi ac plorent; neque unquam de Hercule suo, aut Achille, aut Hectore, tam magnifice loquantur aut sentiant; quia virtuti tuæ majora nos deferre æquo animo patiantur; cujus laus ac splendor non equidem ab exoletis fabulis arcessitur, sed propriis experimentis supra omne id quod fingi potest, inclarescit.

Hærebit olim admirabunda posteritas cum gesta tua le-
get; & famæ tuæ cunctanter accedet; cui, ut ut frequen-
ter in literas eat, de fide laborandum erit. Nemo anna-
libus nostris tam gloriosum præstabit assensum ut vera de
te memorare credat, etiam, cum vero adhuc minora di-
cent. Quippe etiam hoc nomine prava & sinistra ac-
cusari potest natura mortalium, quod quæcunque de
magna quadam & humanum modum supergressa vir-
tute memorantur, tantisper æquo animo ferri solent, do-
nec eadem sibi quisq; prona & facilia facta putent; nec
ultra æstimatur. Tarde iis persuadebitur vixisse princi-
pem, qui nihil sibi gloriosius duxerit, quam suo labore,
suis periculis ac damnis, fortunas, requiem, incolumita-
tem omnium redimere; qui totum Christianum orbem,
& quotquot in eo per illum vivunt, communi amoris ac
benevolentia vinculo sibi adstrinxerit: quem nulla un-
quam ex prosperis superbia, indiscreta felicitum pedisse-
qua, in socordiam dederit: qui denique adversum fortu-
næ blandimenta incorruptus ab omni vitiorum conta-
ge ita se absciderit, ut rarissimam rem, & paucis ubique
Principum concessam, adeptus sit innocentiam. Talis
enim es revera, illustris, Princeps, sive pietatis causam in
acie propugnans, sive libertatem, ab ipsa natura nobis tan-
topere commendatam, reducis; sive à sociis tuis & foede-
ratis injuriam & hæsueros jugulis mucrones in ultimo di-
scrimine arces; sive in victos clementer ac benigne con-
sulis, ac post omnia, de te quoque, qui magnanimitatis
apex est, triumphas. Nam cum cæteris victoriae tuæ mer-
cedem integram illibatamq; concedas, nihil tibi præter
ejus

eius conscientiam servas; maximumq; ac præcipuum bene factorum fructum ducis, fecisse. Quam multos memorare possem, quos cætera modestos, placidos, lenes, affabiles, ipsa subito felicitas sic immutatos dedit, ut naturam ipsam dedidicisse viderentur? quàm multos quos recta atque inflexa indole imperium sustinentes; ac potestate immodica paulisper usos, repente immensa cuncta regendi moles improviso turbine in transversum abstulit? sive hoc divinitus evenit, seu fato rerum, cuius invidia magnis plerumq; imminet, & quæ in summo viscebantur, ad imum velocius multò, quàm ascenderant, velut indignabunda devolvit. Tu quotidie te ipso major, te ipso melior, mitis, tractabilis, comis, clemens, beneficus, ipse tibi norma & exemplum, qualem denique votis optamus, existes. O te admirabilem, qui non ut Hercules olim aut monstrosæ magnitudinis suem, aut Nemeæum Leonem, vel numerosum illud hydræ malum, nugæ maximas Græciæ delirantis; sed ambitionem, præfractam ac deterrimam belluam, atque insanabilem excelsi animi pestem, debellasti! quæ ut amabili quadam insania sublimes maximasq; ludit ac pertentat mentes, & virtutis specie callidè obrepit, ità ubi semel occupavit arcem, validis continuò tormentis, ut ariete aut balista, sapientiæ moenia labefactat aut subruit; & tanquam temulentus quidam aut furiosus herus omnem virtutis supellectilem invadit, diripit, evertit, nihilq; omninò veri aut generosi consilii subsistere uspiam patitur. Hujus dominationem cum ita effugeris, ut nihil illi juris in te supersit, quis te plerisque non Græcorum modò, sed Romanorum quoq;

Imperatoribus; quos si hoc ævum tulisset, moderatione
tua in ruborem dedisses non componere, sed præferre
infinitorum dubitet? quorum non paucos hunc scopulum
parum providè aut ex arte circumflexisse constat? Qui
cum triumphali habitu, toga picta ac stellata, tanquam
histrionales quidam Joves, cum hasta, armillis & coronis,
cum auri argentiq; pompâ inter greges captivorum &
pictos gentium titulos, circumfusa & applaudente uni-
versâ urbe, quadrigis in Capitolium veherentur, parum
se miselli homines meminerant, nisi hoc illis servulus,
aut verna, identidem ad aurem occentaret! At quanto
augustior tuus est triumphus, quem non tam de hosti-
bus tuis, quam de superbia, arrogantia, iracundia, quæ
vix quisquam victorum in potestate habet, excelsus, in-
victus egisti? Gaudent conditione sua urbes, quas cepi-
sti; neque hostem detestantur, sed liberatorem adorant.
Scias ea demum justissima fulmina esse, quæ & percussi
colunt. Non enim perdere tibi libet, quos servatum
vivisti; illamque confessionem hostibus exprimis, ut nul-
lorum magis interesse fateantur an vincas, quam eorum,
quos vicisti. Nihil de cujusquam jure imminutum, nihil
de privilegiis aut immunitatibus decerptum ac præflo-
raturum est; nihil cuiquam publicè vel privatim detractum,
præter pereundi licentiam. Nemo victoriam tuam inju-
ria sentit: Ne in tecta quidem, nisi adhuc hostilia, sævi-
tum. Stant secure domus, neq; stragè amplius aut flam-
mam metuunt. Tempia ipsa ac delubra coelo certantia
urbem suâ è superbo fastigio despectant; & quanquam
muta & inanima, gestire tamen medius fidius, ac lætari
viden-

videntur; quod à sacris & profanis cladem & injuriam
arceas, sistas, minas, vastitatem pellas, & pulcherrima ope-
ra eodem, quo extracta sunt, animo ab interitu vindices.
Nullum enim lignis ac lapidibus, nullum statuis atque
imaginibus bellum indixisti; quæ sua sibi carie exesa,
tineis ac blattis, juratis illarum hostibus, mordaciter de-
bellantur. O felicem clementiam tuam! ô æternis an-
nalibus victurâ laudem! qua effecisti ut quietiorem sub
te vitam victi agant, quam sub alio, cives agebant. Pro
magno quondam habebant Romani duces adoptivis
deletarum gentium atq; urbium titulis insigniri; neq;
alia herclè nomina quam Macedonici, Cretici, Numan-
tini, Africani, Asiatici, utramque illis paginam facie-
bant; adeo nisi victus solitudinem induxissent, gloriam
suam in ordinem coactam putabant. At quanto illud
pulchrius, & ad recordationem futurorum temporum
gratius ac stabilius est, quod non clade & excidiis natio-
num, sed beneficio ad gloriam grassaris; quod subje-ctos
servas, & ad vitam ab ipsa morte revocas; quod casuros
retines, & leniter divinæ manus usus moderatione repo-
nis. Hujus ætati, illius dignitati; hujus errori, illius virtuti
ignoscis, & quoties nullam invenis misericordiæ cau-
sam, tibi parcis; nec nisi ab alienata membra atque
in plures, nisi caveas, insanabile pus ac venenum vul-
gatura; & hæc ipsa tardissime, ac propior miseranti
ferro recidenda statuis; magisq; putas è re tua inson-
tem aliquem servare, quam plurimos fontes perditum
ire. Placeat aliis immiti atque implacabili sævitia
ad supplicia leviter modò errantium procurrere;
fruantur.

fruantur civium sanguine ac poenis portenta principum,
& puerilibus ac spernendis causis sæpe, nec imagine
contumeliæ lacefsiti, duci quoslibet obtorto collo
ac rapi confestim jubeant; denique inhumana cupi-
ditate spectandi sub gladio carnificis tremebundas reo-
rum cervices efferati quascunq; offensas in furoris oc-
casionem atque alimentum rapiant; terrore, cæde, pe-
riculis, ^{ac} pro misero strage ceu irati coeli fragoribus omnia
latè quatiant, turbent, dissipent, trucident; ubi diu incon-
dita illa perdendi libido mortibus, parricidiis ignique ac
ferro debacchata erit; ubi permixtis & confusis bono-
rum malorumq; meritis ac fatis, grandinis morbive epi-
demici ritu, totis civitatibus, ac provinciis incubuerit;
quid aliud quam publicam in se rabiem cõcitabit? quàm
vastitatem ac solitudinem sibi faciet? quæ pluribus sæpe
exitio fuit eritq; quam fames aut bella aut pestifera tabes,
quæq; alia in Deum iras velut ultima suppliciorum ver-
tunt? Sic vagi fulminum flammaramq; effractis nubibus
cadentium globi, loca sacra & profana passim amburunt:
tangunt innocentes, feriunt noxios; ac sine discrimine
dum sceleratis parcunt, in probos interim ac religiosos sæ-
viunt. Cæterum illos infelix immanitas sua publicis cer-
vicibus depellit; afflictosq; supra modum ingruentibus
odiis ad exitium palàm destinabit, quod secretò aliis
machinantur. Tu verò macste nobis esto clementiæ glo-
ria, invicte Princeps; qua quicquid mortalitas, capere
potest, implevisti. Quippe infirmum fidei vinculum me-
tus, nequaquam idoneus obses diuturnitatis, habetur. In-
stabilis illa possessio est in quam gladio inducimur; nisi
blan-

blando benignitatis palpó rigidae mentes & refractariae
percutiantur. Male vim suam potestas aliorum contu-
meliis experitur; male sibi formidinem pro autoritate
circumdat; cuius frænum facillimè indignantur, & ex-
cutiunt quicumque à necessitate aut fastidio parendi ad
virtutem & arma efferantur; contrà verò remissius im-
peranti, pronius ut plurimum & addictius paretur. Fru-
stra te horrore & minis succinxis; si caritate tuorum
septus non fueris. Nihil enim tam naturale est, quam
odisse, quem timeas; & quem metueris, infestare, si pos-
sis. At contra beneficiorum tuorum gratia sempiterna
erit: qua id assecutus es, ut tecum militent, tecum peri-
clitentur, pro imperio tuo sanguinem fundant ii ipsi,
qui modò in adversis castris contra auspicia tua pugna-
verant. Hi nunc humanitate tua deliniti, amore ac be-
nevolentia cum tuo milite certant. Hi quocumque
jusseris pergere, pugnare, utcumque tibi cordi erit, au-
spicium tuum constantissimè vel sequi amant, vel ante-
cedere. Hi quod se objectant insidiantium mucroni-
bus, nocturnis excubiis & laterum oppositu salutem tu-
am defendant, pro te excipere ferrum, ac mille morti-
bus animam tuam redimere cupiant, seriò gloriantur,
exultant, triumphant. Placeat tibi, placeat perpetuò hæc
secta servandi, quos deviceris; neque in præclaro hoc o-
pere aut animus tuus, aut fortuna lassetur. Erit olim in-
ter exempla placida virtus tua; & in secula ibit; fuisse
Principem, qui res natura in-sociabiles ac diversissimas,
prudentiæ jugo devinxerit; summam felicitatē & sum-
mam continentiam. Ridere libet illorum Principum

E

præpo-

præposteram & male consultam ambitionem, qui nulla virtute conspicui, & infamiae quàm laudi propiores, quo populi sermones ab insectatione inertiae suae aversos, ad gratam sui recordationem excitarent, sæpe magnis urbibus suffecturas opes exhibendis muneribus impenderunt. Quorum omnis voluptas caduca & brevis, post primæ delectationis æstum pro ingrata jacebat; maximisque jacturis nihil præter inanem favorem, & ut multum, paucorum dierum fabulas assequebatur? Adeo nihil tam furiosum aut fatuum, quam id profundere, quod & ipse perdas, & nemo eorum, quibus præstatur, accipiat. Reperti sunt alii qui publicis operibus extruendis memoriam nominis sui in posteros transfundere laborarunt. O stolidi ac insciantia veræ laudis superbia! Equidem ut magni & excelsi animi est, despiciere & calcare mortalia; ita nihil delirius excogitari posse pro certo habeo, quam venerationem sibi iis rebus aucupari, quæ mille casibus subiecta, etiamsi diu luctentur cum fato suo, ab ipsa tamen confectrice rerum vetustate, qui finis omnium, tandem dissoluta collabascunt. Quid enim in tantum altitudinis culmen ambitiosus seculorum labor evexit, quod non aut volvenda dies, vel hostilis impetus, aut ipsa fatorum inclementia subigat demum ac subvertat? Tituli, arcus, statuae, trophæa, saxa, Mausolea, Pyramides, cætera regiae magnificentiae sive ostentamenta, sive ludibria, nec vivis solidum decus acquirunt; & si posteritatis indicium in odium vertat, pro-

bustis

bustis negliguntur. At verò beneficentia tua, Invicte Princeps, æternum tibi in animis tuorum ac nihil temporibus debiturum monumentum exædificavit, quòd vetustate ipsa florens in melius majusque indies provehetur, ac gliscet posteritate. Hæc tibi templa, hæ pulcherrimæ effigies & mansuræ. Hac gloria universitatem rerum, ac vastam illam temporum profunditatem æquabis. Nusquam enim melius imago Principis quam in cordis penetrali dedicatur: nusquam ejus auctoritas religiosius consecratur, quam in recessu mentis, in sacrario pectoris, in sua cujusque veneratione. Pravi ac degeneres Principum, quos publicus generis humani contemptus exemit gloriæ, silebuntur: at nulla erit tam surda fama, nullatam ingrata posteritas, quæ laudibus tuis non assurgat; quæ non in coelum te debitis præconiis vehat, Onerasti profectò eos, ~~atque~~ qui nascendi forte pares, meritis tuis vincuntur; quorum neminem tam puto ignarum sui esse, quin committi tecum reformidet. Nam ut lux quantumlibet clara amplioris fulgore luminis occæcatur ac pallefcit; ita quis non videt, quantumvis excelsam aliorum gloriæ collatione fastigii tui deteri ac velut erubescere; quantumque supra cæteros exstet, tantum infra te conspici? Parum enim fuerit, maximum te esse, nisi & illi fiat, quos cello vertice evincis. Qui purpura gloriantur, fascibus intumescunt, potestate infinita supra leges, & rempubl. se efferunt, coelum denique ipsum insanis

cogitationibus invadunt, miseri plerumque in hoc altius
tolluntur, ut foedius procidant. Tua verò, Princeps cle-
mentissime, solida fundataque potestas est, quæ non alie-
no terrore, sed amore ac reverentiâ tuorum succrevit.
Nam etsi amplissima inter homines consecutus sis; ta-
men quod te submittis ac minorem geris, quod com-
muni utilitati posthabitiâ tuâ, prospicis; majus & au-
gustius imperio tuo est. Cepisti igitur benignitatis tuæ
fructum, quantum maximum vel capere potes vel exi-
gere; nec virtus tua ingratos aut malignos æstimatores
nacta est. Nemo mortalium uni tam dulcis est, quam
tu omnibus. Nemo non imputari sibi aliquam benefi-
centiæ tuæ partem vel patitur, vel concupiscit; nemo
non cum de te cogitat intimos sibi sensus tangi inexpu-
gnabili illecebra, ac linq̄i præ voluptate protinus vi-
det? A te jam factorum nostrorum seriem ordimur; ex
tuis successibus lætitiæ causas populi urbesque concipi-
unt; & qualem quisque sortem statumque habiturus sit,
ex tua felicitate auguratur. In periculosam nuper aleam
conjecerat Germaniæ libertatem inauspicatum Magni
Gustavi fatum; ad cuius acerbam memoriam teneri vix
possum quin & contrahatur animus, & lacrymæ ictu
doloris impulsæ unâ exiliant: Tot spes, tot gaudia, tot
merita, quot in nos vivus contulerat, simul cum ipso ex-
tinctâ & elata, quotquot supersumus, velut sidere aut
tenitru ta si, mœrebamus. Dicam quod sentio, ut ut re-
fragetur modestia tua. Actum erat de partibus, nisi in
istos humeros tuos labentis reip. onus incidisset. Tan-
dem ergo in tuto sunt vota nostra; tandem habemus, in
quo

quo se frangat crudus dolor; in quò post tot miserrima funera exitia, proscriptiones, jura violata aut everfa, fas omne conculcatũ; calamitates, acerbitates inauditas ac intolerandas libertas à majoribus tradita ac salutis nostræ fulcrum atque instrumentum religio demum acquiescat. Absit modò invidia; neque unquam conata tua & velocissimum victoriarum cursum retardet, importunè aut interjungat; ut affecto seculo mederi possis; longum ac diuturnum ætatis nostræ bonum. Speramus quidem fore ut constent sibi fata, & votis faveant nostris; neque tantum in se nefas fortuna admittet. Cæterum veniam dabis, magne Princeps, piæ sollicitudini, si ancipites bellorum casus ac versabiles rerum humanarum vices acrius nescio an consideratius tremimus ac horremus; si vitæ tuæ incolumitatisque justa æstimatio, ut nunc tot pilis, tot globis circumstrepitur, multiplicem nobis ex amore tui curam incutit ac subinde ingeminat. Nimio, mehercules, gloria tua constaret nobis, si vitæ impendio tibi paciscenda foret; nec unquam nos intrabit tam dira vincendi cupiditas, quin statuamus quantamcunque licet felicitatem tanta mercede infeliciter ac perniciosè emi. Quo enim nobis, ô Dii boni, illas laurus, illa uberrima victoriarum tuarum præmia, illos tot spoliorum aliorum super alia acervatorum cumulos, si providentissimo tantorum bonorum auctore, eodemque rectore virium nostrarum orbati cum prægravi onere mergamur? si per tempestuosum pelagus atque indignantium fluctuum minas, manu tuâ servati, nunc pene intra portum impacta nave

periculum in terra adeamus? Næ nobis felicitas illa citò in miseriam vertet, si quod meritò deprecamur, speciosum illud tot luculentissimarum palmarum decus repens fati violentia in manibus tuis infregerit? Quam herclè fluxa & mutabilis rerum per virtutem partarum possessio jactabit tueri nescientes, si enervis illa, & suo opte ingenio ad regendum inhabilis moles, quæ nunc mente ac spiritu tuo agitatur, subito, illo intercepto, quasi succisis aut abruptis nervorum ligamentis, ceciderit? Respicias modò te, Illustr. Princeps, respicias nos; atque inde in rempubl. oculos retorqueas. An non manifestum exitium portenditur, si vile habueris augustum atque sacrosanctum illud caput, in quo privata, publica; res, rationesque omnium verti ac periclitari liquet? Illæ tot manus, tot lectissima virorum robora, tot conglobatæ provinciarum vires, quæ latera tua ab omni parte ambiunt, & in quoscunque tecum casus properant, velis nolis, nimix virtuti tuæ modum statuunt; neque ut te sponte insidiantibus periculis prodas, permittunt. Tot millium in te unum arrecta vota, tot preces, gemitus, obtestationes supplicia, fidissimorum subditorum sociorumque, quos læta pariter ac tristia in eundem tecum belli eventum copularunt; postremo quotquot aut beneficio, aut fædere rebus tuis innexi, te velut coelo dilapsum reipubl. Christianæ Palladium, te locupletissimum publici status libertatisque vadem ac arrhabonem, patronum, vindicem salutant, vel agnoscunt. Hi omnes affusi genibus tuis non mediis fidius indigni, nec fastidendi

diendi clientes, invidiam tibi faciunt, dextras intendant; neu communem causam, neu jura armis asserta aut redintegrata, haud dum decisa penitus lite, aut ad liquidum perductâ, ultrò declinare; ultrò fluctuantes, & ultima expectantes cotidie, insensantibus fatiis perdere ac destituere velis, orant obsecrantque. In te uno, utut more suo fors tumultuetur, abunde prosperitatem, decus, potentiam rati; si vivum ac spirantem viderint, si velut altam & exaggeratam tranquillitatis nostræ turrinam opponere fatiis, ostentare fortunæ queant, dubiis levamentum; præsidium validis ac regimen. Intelligis opinor, Amor ac delictum gentis Christianæ, quanti etiam tua intersit, ut virtuti tuæ parcas, cum tantum inde ad omnes redundet; ne si securius unî tibi parcere contemseris, in quo omnia omnibus sita sunt, & quo sublato certa in cunctos & ineluctabilis pernicies, duriter in se atque immisericorditer consultum universi querantur, neu fidei tibi præstitæ magnum sed calamitatum ac triste documentum exhibeant. Nec deerunt, qui quoties occasio poscet, pro te non pigrè, neque cunctanter ad mortem ibunt. Quotquot castra tua sequuntur, quotquot signa tua longo densoque ordine circumstant, pluris qualicunque vitâ nobile ac illustre fatum æstimabunt. Hi belli Martisque discrimina impavidi subibunt; Hi sibi longe pulcherrimum pro salute tua certamen insatiabiliter despondent. Maximum quidem opus per te jam effectum esse læti atque alacres fatemur; sed major tamen adhuc moles superat, quam quæ exhau-

hausta est: huic te integrum servari, & par est, & reip.
ratio postulat. Quæ calamitas ex quo pacem amisit
orbis, seculo incubuerit, quanta labes perverterit pu-
blicos mores palàm est. Ubique scientiæ ac disciplina,
quas penes ævi gloria quondam stetit, foeda vastitate
procumbunt, ubique ignorantia quædam nox tetris ac
horrentibus tenebris ingravescit. Et quis virruti, quis li-
teris, quæso, supersit locus, cum probra atque incom-
moda humani generis tam felici audacia bonorum
ubiq; præmia invadant? Ubique jam veluti signo dato nõ
gradu herclè aut per momenta sed concitatissimo cur-
su ad barbariem itur: honestamenta liberalium artium
pro desertis & neglectis jacent, dum pessimæ honoris
insignibus decorantur, ac dignitatem suam strenuis in-
terversum eunt. Hæc labes adhuc exterminãda tibi est,
Magne Princeps, simul ac bellici sudoris paululũ inter-
miserint. Hic cumulus tanquam suprema manus ad con-
summandam gloriam tuam adstrui debet; ultimus hic
restat actus. Expectamus omnes brevi futurum, ut ad
illa præclarissima, bona, quæ nunc jam intuemur, il-
lud etiam adjungas longe optatissimum otii & quietis;
ut sub auspiciis tuis honestissima studia deterso situ &
squalore nitorem pristinum adipiscantur: utq; ex po-
tissimum artes sub te excitentur atq; efflorescant, qua-
rum gloria te in omne ævum sacratum dimittet. Opta-
mus seculũ hoc quod servitus invaũt, tandem aliquan-
do velut ex ergastulo liberes, ac manumittas; ut decõ-
ra, & ad laudem nata ingenia è tenebris eruas, quæ indi-
gnitate temporum pressa & semiviva, vix ædepol nunc
se

se inveniunt. Hoc tam decet optimum & consumma-
tissimum Principem, quam illud ad pessimos pertinet,
inimicas vitis artes non odio magis, quam reverentiâ ab
se relegare. Qui enim foedi ac maculosi flagitiorum o-
mnium conscientia flagrent, ipsius herclè virtutis occur-
sum de proximo fugitant; & dum tacita quoque suspi-
cionum in opprobrium rapiunt, aliorum probitatem
tanquam exprobrantem odere. Sed neq; illis ideò con-
scientiam generis humani vel abolere licet, vel effugere;
quin cum sua sibi infamiâ ad execrationem posterorum
in annalibus odio suo perpetuò ac turpitudini super-
vivant: ut eorum memoria in tantum apud omnes invi-
sa ac detestabilis conspiciatur; in quantum cupiunt
ignorari & abscondi. At verò de te, Illustris Princeps,
quis tale quippiam sine sacrilegii metu, aut sibi imagi-
nari per somnium etiam; aut persuadere aliis sanus &
vigilans talibus possit? qui jamdudum ineffabilibus
meritis non tantum vulgus atque imam quasi turbam,
sed maxime illustres & divinas animas amore tui ac ve-
neratione ad virtutum tuarum prædicationem obstrin-
xisti. Hæc enim compendiarie ad æternitatem via du-
cit; neque alio herclè pacto felicius quàm per erudito-
rum humeros ac lacertos heroës tanti in cœlum assur-
gunt. Egregium hoc, magne Princeps, & ad illustran-
dam amplitudinem gloriæ tuæ imprimis efficax; fovere
optimas artes & in usum publicum promere; & quan-
tum periculi ignavia, pessimum bonæ mentis impedi-
mentum, sub te adire debeat, industriæ præmiis osten-
dere: quorum ratio tunc optimè sibi constat, quoties di-

F

gnos

gnos consequuntur. Nihil post hæc sublimius, nihil illo fastigio, quod tenes, dignius suscipere potes, quam si extinctis ubique armis ac dissensionibus sopitis, quæ Ecclesias pariter & Rempubl. pertinacibus odiis collidunt integram ac firmam utriusque quietem restituere contendas. Tendit ecce cruentas manus, & negotium hoc tibi commendat totus Christianus orbis, quem scissæ ac turbatæ pacis mala è sacro publico orta, & ab iis, quæ iurisdictio & majestas cœli inter regnandi instrumenta est, in ambitionis prætextum corrupta, studiis ac partibus pene ad exitium miscuerunt. Latius hæc lues, nisi providetur, contagionem dabit; atque indies plurimum ardorem velut inflammatione corripiet, omniaque reipubl. membra facer hic ignis pervagabitur. Sed neque Deus siverit, ut, cū foris omnia ductu tuo ac virtute Numinis tuta habeamus domi pacem inter æstus contentionum, serpentibus odiis ac suspicionibus videamus turbari. Nihil infestius nobis vel infensissimi hostes imprecari possunt; quam ut dissidiorum flabris, unde plerisque regnis ac rebus publ. fatum excidii adventasse constat, in civilium bellorum rabiem acti, mutuis ictibus veluti gladiatores in arena concurramus. Arduum quidem hoc opus, multaque difficultate obseptum, ulceratas occultis simultatibus mentes, & tumescencia hæc vulnera mitigare; sed cum excelsa merita & heroicæ virtutes tuæ, inusitata magnitudine sua, nihil pene ad cujusquam vota reliquum sibi fecerint; restat ut illud deinceps abs te expectare audeamus, cui spes & conatus cœterorum jam succubuerunt. Quæ votorum audacia vel ideò tibi
mira

mira videri non debet; quod nos dudum te auctore ac
duce nihil desperare docuisti. Et quando in hæc
tempora natus es, ubi inter cæteras stygiæ ac infan-
dæ crudelitatis artes hæc quoque pestis ab infaustis sce-
lerum magistris emissa tanquam ab inferorum faucibus
erupit, ut in Heroas cœtera invictos venena clàm spar-
gantur; sivæ & mucrones passim vibrentur, capita Prin-
cipū, ut venale mercimoniū publicitus proponātur; id
immortalem Deum votis assiduis poscemus ac flagitabi-
mus, ut dum quæ tuis humeris, tuoque robore publica
innituntur fata augescunt quotidie & incrementa capi-
unt, ipse abominandas perditorum latronum machi-
nas Divino præsidio vallatus incolumis semper exeas &
profliges; neq; prius natale coelum, & cognata sydera,
gloria atq; immortalitate compos, repetas, quàm Gusta-
vo Magno, invictissimo post hominum memoriam He-
roi, Pio, Inclito, Felici, cujus plus quam humanæ virtu-
tes pectora omnium arcano divinitatis sensu ac vi numi-
nis rapiunt ac percellunt ab malignantibus fatis interce-
pto, terrore hostium ac fugâ, clade ac ruinâ parentaveris;
libertatem verò nostram, cui sine te in sordibus & luctu
contabescendum est, ac imprimis fidem, ac religionem
inculpatam, coeleste depositum ac pignus, extinctis fun-
ditus ac in herba suffocatis discordiarū venenis, incom-
parabili virtute, prudentiâ, constantiâ, felicitate, ut cœ-
pisti, ita porro tuearis, Germaniæ propugnaculum ac
murus, scopulus hostium ac fulmen, tranquillitatis pu-
blicæ tibicen ac fulcrum, Felix, Victor ac Con-
servator generis humani.

Erro-

**Errores, qui typographi diligentiam fefellerunt,
exstantiores, sic corriges.**

A. 3. p. aversâ Lin. 23. pro utriusque, lege, utrinque. B. L. 9. pro partitus; tuis miscuisti, L. partibus tuis miscuisti. B. 2. p. aversâ L. 1. pro versari; versare. L. 2. pro sui, L. tui. L. 25. pro assiduâ vi, L. assidua ac nunquam &c. B. 3. Lin. 9. Lege, tumultus, fuga; &c. C. 2. L. 21. pro recordes L. vecordes. C. 3. 2. pro potest L. poterat D. aversâ p. L. 18. pro gratiis L. Gratiis D. 2. L. 26. pro quia virtutis, L. quin virtutis p. aversâ L. 10. pro facilia facta L. facilia factu. D. 3. aversâ p. 23. pro defractum, L. detractum. D. 4. L. 2. pro minas L. ruinas. L. 14. pro victus, L. victis. p. aversâ: Lin. 8. Lege: ac miserorum strage. L. 24. pro, destinabit; destinat. Lin. 28. pro habet, habetur. E. 2. Lin. dele rō atque. E. 4. Lin. 9. pro albam; altam. p. aversâ L. 10. pro ubique, L. Ubique. Lin. 13. pro pessima; L. pessimæ &c.

F I N I S.



W. A.

H. C.

is
e.
3.
3.
6.
a
L.
c.
o.
e.

8
V
1
T
M
g
l
C
b
p
p
r

ULB Halle 3
003 251 888





cum admirat
 sicut diurnur
 per immensa
 tur, ac terris o
 virtutum tuar
 in partem ber
 erit. Non fas e
 lesanæ ac perc
 tem sese ocul
 Cum enim ta
 quam late orb
 terius provin
 regionibus an
 cumscribat, p
 atur, qui bon
 ne nesciat, qu
 illustri famæ t
 in re tantâ cur
 stimulos adme
 lut numinis in
 prior, accendo
 mensum illud
 adhuc singulo
 lut emancipat
 tione apud pu
 ambitu atque
 ità sese totam
 auctore devot
 de verò nunc in
 fundam? In

igit. Nam
 lo affixum,
 circumduci-
 mpertit; ita
 n, omnem
 it atque ex-
 cæ, tam ma-
 at ingeren-
 claritatem,
 icentia tua,
 inius aut al-
 habitabilis
 dor se cir-
 ngere vide-
 is commu-
 imperator,
 eteri adhuc
 s quosdam
 nò verò ve-
 angor, ra-
 , quin im-
 od vocem
 cludit, ve-
 ac allocu-
 verborum
 bducitur;
 ibi pariter
 dicit. Un-
 petum ef-
 ata rerum
 conge-

